



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

267. Quid agere vel non agere quo ad electionem possit procurator.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)

*Quaestio 263. Vtrum absentes, praeciso privilegio vel consuetudine legitimâ, valide ferant suffragium per literas?*

**R**espondeo negativè, *cit. c. si quis iusto*, & ibi gl. & DD. omnes teste Pass. contra Azor. & Portel. apud eundem censentes, dare suffragium per literas obsignatas non esse contra jus commune. Verum nequidem consentiente capitulo id fieri posse, censent Barb. *ad c. si quis iusto*, & *cit. n. 108*. Castel. *c. 5. n. 65*, & alii.

2. Quinimo id fieri nequit, etiam si nullus ex capitulo pro absente impedito procuraturam suscipere velit; neque etiam capitulum consentiat, ut Procurator externus constitutur. *cit. c. si quis iusto*. Pass. *n. 35*, contra Host. *de elect. n. 88*, de forma enim scrutini est, ut vota dentur sigillatim & secretò; tales autem literæ deberent imprimis legi, & tanquam propriâ manu scriptæ cognosci à Capitulo, Engels hic *n. 10*. Verumtamen dicta intelligenda sunt de iis electionibus, in quibus accuratè servanda est forma scrutini, præscripta in *c. quia propter*, in aliis enim v. g. regularium quorundam, quæ fiunt per schedas obsignatas in urnam coniectas, potest absens, uti & infirmus talis suffragium suum ita scriptum ad capitulum mittere, Laym. *ad c. si quis iusto. n. 3*, & ex eo Pirh. *hic. n. 151*.

*Quaestio 264. Quando absens suffragium suum ferre possit per Procuratorem?*

**R**espondeo: si adsint sequentes conditiones, primò si verè absens est (qualis in præsentia materia censetur is, qui taliter est extra locum electionis, ut Scrutatores non teneantur eum accedere personaliter pro recipiendo suffragio juxta cuiusque collegii leges vel consuetudines. Pass. *n. 36*.) Et si in negotiis aliis possit quis etiam non impeditus loco sui constituere Procuratorem. *l. 1. ff. de procurat. in electionis tamen negotio expressè cautum est contrarium c. quia propter*: Quod tamen, quia constitutum in favorem habentium jus eligendi, poterit ex consensu capituli hic & non renunciantis huic favori, etiam non impeditus per Procuratorem ferre suffragium suum. Abb. *in c. quia propter. n. 1*. Barb. *cit. c. 19. n. 110*. Pass. *loc. cit. n. 42*. Pirh. *n. 146*.

2. Secundò si verè impeditus sit, v. g. gravi infirmitate, vel metu ob capitales inimicitias, detentione violentâ, vocatione ad altius tribunal, & c. gl. *in c. quia propter. v. venire*. Barbof. *loc. cit. n. 109*. Pass. *n. 40*. durante hoc impedimento non tantum pro eo tempore, quo Procuratorem instituit, sed etiam quo facienda est electio. Castel. *cit. ut. c. 5. n. 91*. Pirh. *n. 146*. Pass. *loc. cit.* Absente manente pro eo tempore in eo statu, ut si præsens esset, posset eligere, v. g. non incidente in excommunicationem, suspensionem, maniam & c. Tholos. *de elect. c. 6. n. 8*. Absurdum enim est illos admitti, quorum repellerentur auctoritates, *c. licet*, & *c. re restibus*. Porro, si impedimenti legitimitas capitulo non constat, probari potest iuramento. Pass. *n. 41*. Mascard. *de prob. concl. 884. n. 2*. Scraph. *de privileg. jurament. privil. 55*. apud Barb. *in c. quia propter. n. 38*. Præstante hoc iuramento, vel ipso principali, & faciente de hoc constare in ipso instrumento procura, vel ejus procuratore, habente speciale mandatum à Principali jurandi in animam suam. Pass. *loc. cit.* Barb. *loc. cit. n. 110*. Host. *loc. cit. n. 8*. Quod tamen iuramentum, ubi capitulum remisit (uti potest. Pass. *n. 42*. Barb. *loc. cit.* Innoc. *in c. quia propter. & ibi alii*) non potest quis post electionem

probare, quòd absens non fuerit impeditus; cum collegium (quod, uti dictum, potest etiam non impediti admittere procuratorem) renunciarit quoque in hoc juri suo. Pass. Barb. & alii *ll. cit.*

*Quaestio 265. Vtrum potestas eligendi in absentia per Procuratorem competat etiam regularibus?*

**R**espondeo affirmativè, modò id iis vetitum non sit speciali statuto contrario (uti contingit in ordine Prædicatorum teste Pass. *c. 10. n. 48*.) Garc. *de benef. n. 5. c. 4. n. 20*. Tamb. *tom. 1. d. 5. q. 4. n. 6*. Lezan. Barb. & c. apud Pass. Nihilominus postquam Trid. *sess. 25. c. 8*. statuit, ut electio in regularibus sit secreta, absens non poterit jam amplius eligere per procuratorem constitutum cum speciali mandato eligendi determinatam personam; quia talis Procurator non potest eligere, quin publicetur eligentis nomen. Garc. *loc. cit. n. 200*. referens ita dictum à S. Congregatione. Tamb. *loc. cit. num. 6*. vide Card. de Luca in *annot. ad concil. Trid. discursu 37*.

*Quaestio 266. Qualis debeat esse Procurator?*

**R**espondeo primò generaliter, procuratorem debere habere omnes conditiones, quæ de ceterò requiruntur in electore præsentè; adeoque in electione Ecclesiastico non posse esse laicum, vel alterius Ordinis, non excommunicatum & c. Pass. *n. 44*. tradit.

2. Respondeo secundò specialiter, illum debere esse unum è collegio. Pass. *n. 35*. juxta *c. quia propter*: quamvis nemo è collegio teneatur eam procuram admittere. gl. *in c. quia propter. §. illud. Pass. n. 43*. Barb. *loc. cit. n. 112*. quia nemo invitus Procuratoris munus suscipere cogitur *h. invitus. c. de procurat.* Potest nihilominus etiam institui procurator, qui non est de collegio, & hunc admittere potest collegium, modò aliàs idoneus sit. *c. si quis iusto. h. r. in 6. Abb. inc. quia propter. §. illud. n. 2*. Barb. *loc. cit. n. 104*. Pass. *n. 43*. non tamen tenerur, ne quidem in casu, ubi nullus de collegio procuram vult suscipere. A. A. iidem. In actibus enim etiam aliis gerendis per universitatem seu collegium, non tenerur illud admittere procuratorem externum, Jo. And. *in c. quod alicui. de reg. juris in 6. n. 17*. ad eòque hoc sibi imputare debet absens elector, quòd nullum invenire possit, qui velit esse Procurator. gl. *in c. quia propter. §. illud. v. venire*. Si tamen id fieret per fraudem vel conjurationem, tum absens conqueri posset de injuria & contemptu, & perere, ut rescindatur electio. Tholos. *de elect. c. 6. n. 9*. cum omnis fraus ab electione longe abesse debeat. *c. cum dilectus. h. r.*

*Quaestio 267. Quid agere vel non agere quòd electionem possit Procurator?*

**R**espondeo primò: dum est de gremio electorum constitutus cum mandato generali, duo quidem suffragia ferre potest, unum suo, alterum principalis sui nomine: non tamen unum suo, & alium Principalis sui nomine eligere potest. *c. si quis iusto*. Barb. *loc. cit. n. 105*. Tambur. *loc. cit.* Pass. *cit. n. 43*. Et si sic divideret sua suffragia, utrumque suffragium est irritum, seu nihil ageret, eodem *c. si quis iusto. §. porro*. Verumque id ipsum est propter expressum hujus *c. textum*; etiam si sic dividens sua suffragia non peccaret in conscientia (in qua de ceterò tenerur eligere digniorem, non secus ac ipse illius principalis) dum nimirum isti duo, in quos dividit sua suffra-

suffragia, essent æque digni. Pass. loc. cit. n. 43. contra Castel. & Barb. cit. n. 105. Molin. & Sigism. à Bonon. ab eo citatos. Contrarium tamen est, ubi Procurator speciale mandatum haberet de certa persona eligenda; tunc enim illam, & non aliam nomine procuratorio eligere potest (ne aliàs excederet fines & formam mandati sui, gl. hic v. *mandatum*) utpote quam tunc non tam ipse, quàm ejus Principalis liberè eligere censetur: potens interim nomine suo eligere alium, quem censet æque vel magis dignum. Barb. loc. ult. cit. Tholo. cit. c. 6. num. 11, Pirh. hic n. 150. non enim tenetur iudicium suum conformare iudicio Principalis. Engels hic n. 10. Ubi autem in mandato tali procuratorio nominaretur ei persona non idonea, non debet Procurator mandatum recipere Host. in sum. h. r. n. 8.

2. Secundò, potest talis Procurator habens speciale mandatum de certa persona eligenda subdelegare sibi alium; sic namque nec Principali suo, nec Electoribus præjudicat; cum enim eligi debeat præscriptus à mandante fines mandati à substituto excedi nequeunt. Secus videtur, de procuratore instituto cum generali mandato; eo quòd censetur hic numero electus ad procuram propter specialem ejus industriam & discretionem. Pirh. n. 150. citans gl. in c. si quis v. de certa. Ubi tamen ipsi mandato procuræ inserta foret potestas substituendi sibi impedito alium, adhuc dubium fore, an substituere hunc sibi posset, ait Pass. n. 45.

3. Tertio, Procurator cum speciali mandato non potest sub alia forma, quàm scrutiniis consentire in electionem; quia ea sola intelligitur demandata. gl. apud Pirh. contra procurator cum generali mandato potest compromittere, & sub aliis formis, quàm scrutiniis eligere; cum constitutus in definitè ad eligendum totum jus mandantis quòd ad hoc in se translatum habere videatur. Arg. c. venerabili. de off. jud. delegat.

4. Denique si ante electionem absens elector moriatur, procurator cessare debet, Barb. loc. cit. n. 110. censent tamen Tamb. loc. cit. n. 8. Archid. in c. si quis iusto. n. 3. citati à Pass. n. 42. quòd si mors ab electoribus ignoretur, & procedat electio, eam tenere.

*Questio 268. Num absens plures procuratores suo loco constituere possit, & quis eorum admitti debeat ex consensu capituli?*

**R**espondeo ad primum affirmativè, modò singuli constituantur in solidum, hoc est ut unus sine altero eligere possit. c. quia propter. §. illud, & c. si quis iusto. Pass. n. 46. si enim non constituti sunt in solidum, nullus illorum est admittendus; possent enim aliàs vota dare diversis. *ibid.*

2. Respondeo ad secundum: in isto casu locum esse preventioni, ita ut is admittendus sit, qui alios prævenit; vel si duo concurrant simul, petantque admitti, unus tantum sit admittendus, ille nimirum, qui prius petiit admitti; & in dubio, quis prior petierit, is, quem major capituli pars designavit; vel si in hoc non concordarint capitulares, is, qui prior in literis vel instrumento procurationis fuit nominatus. c. si quis iusto. Pass. loc. cit.

*Questio 269. Num excommunicato excommunicatione minore competat jus suffragii, illudque datum valeat?*

**R**espondeo affirmativè. Pirh. n. 28. Zoësius hic. n. 13. Pass. c. 10. n. 86. cum communi. Sumitur ex c. illa. h. r. ubi Pontifex confirmat electionem tanquam canonicam, etsi quidam Electores

fuisent excommunicatione minore seu simpliciter excommunicati. Quòd autem ibidem dicat, se suppleri ex plenitudine potestatis defectum, si quis fortè intervenisset; id non ex necessitate, sed ex abundante ad cautelam factum, gl. *ib. v. suppletus*. Ratio responsi est, quia hæc excommunicatio non privat communionem fidelium, neque suspendit ab officio vel beneficio; sed tantum à participatione sacramentorum. c. ult. de clerico excom.

*Questio 270. An idem dicendum de excommunicato excommunicatione majore, notorio quidem, tolerato tamen?*

**R**espondeo affirmativè. Zoësius n. 10. citans Navar. in sum. c. 27. n. 7. Suar. tom. 5. de cens. d. 1. §. 2. n. 18. Filiuc. tom. 1. l. 12. c. 6. n. 151. Pass. loc. cit. num. 76. Peyr. in pral. q. 2. c. 5. n. 15. Barb. de jure Eccl. c. 19. n. 56. contra Castel. de elect. c. 5. n. 18. & 48. Donat. tr. 4. q. 8. Innoc. in c. cum dilectus. de consuet. &c. Quidquid enim sit de jure antiquo, quo dicitur sententia à tali excommunicato lata invalida. c. adversus. de immunitate Eccl. & à tali delegatus carere jurisdictione. c. si is cui. & c. de off. jud. deleg. jure novo post Exrray. Martini v. ad evitanda (quæ edita in Concil. Constant. etsi non extet inter hujus Concilii acta, ejus tamen decretum renovatum à Leone X. in Concil. Lateran. sess. 11. Pass. c. 10. num. 64.) communicari potest cum excommunicato quocunque, excepto nominatim denunciato, & percussore Clerici notorio. Si autem hoc licet, acta ejus valere debent, ne aliàs frustra licitum esset cum tali communicari. Zoësius loc. cit. Sed neque excommunicatio privat officio, & exercitio jurisdictionis, priusquam excommunicatus sit denunciatus. Unde valida est electio facta, nullo reclamante. Pass. loc. cit. n. 77. citans Covar. in c. alma. p. 1. §. 7. n. 9. Bonacin. de censur. d. 2. q. 2. p. 5. n. 6. Filiuc. Suar. Barbof. ubi ante. proceditque id ipsum, etsi omnes Electores sint excommunicati. Pass. *ibid.* Quin etsi potestas eligendi redacta sit ad unum, valet electio, etsi hic sit excommunicatus. Suar. loc. cit. n. 8. non secus ac valet collatio facta ab Episcopo excommunicato non denunciato, ideoque tolerato juxta quamplurimas Rotæ decisiones, quas citat Pass. loc. cit. Nec obstat, quòd suspensus sit ab officio & beneficio; cum ea suspensio tantum sit quòd ea exercenda licitè quòd se, non quòd alios, ita ut licet peccet, se ingerendo & suffragium dando; non tamen noceat electioni, quamdiu non rejicitur, Ecclesià supplente, & conferente ad talem actum jurisdictionis. Zoësius *ib.* remittens ad Covar. in c. alma mater. p. 1. §. 7. n. 9.

2. Porro idem multò magis dicendum de excommunicato occulto, nimirum ejus acta multò magis sustinenda. Zoësius loc. cit. n. 11. Cum enim quis exercet munus aliquod publicum (quale est officium eligendi Prælatum; eligere enim convenit Canonicis, non ex vi canonicatûs, sed ex publica auctoritate iis ab Ecclesià concessâ & per ordinem ad bonum commune. Suar. loc. cit. n. 6.) & in eo sustineretur defectus, maximè occultus, non afficit actus illius, qui ex reipubl. interpretatione sunt validi. c. ad probandum. de re judic. & *ibi* Abb. n. 15. Felin. n. 3. & l. Barbarius ff. de offic. Prætoris, qui textus licet sit de civili magistratu, idem tamen statuendum in Ecclesiastico; cum Ecclesià non minore providentiâ prospiciat fidelium utilitati, quàm respubl. suorum civium. Zoësius.

3. Ac denique dicendum idem de excommunicato, denunciato quidem & notorio alibi, in loco tamen